

quã semen Verbi etiam ante conversionem homini inspirari autumarunt, atque adeo Spiritum Christi contingere homini sine Verbo externo docuerunt. JUBILUS, non Sanctorum apud Prophetas, neque veterum Christianorum, cum subsultu in fine precum conjunctus, sed ex raptu mere enthusiastico profectus, JUDÆORUM CONVERSIO CHILIASTICA, SIMULTANEA, ACTUALIS, UNIVERSALIS, ante diem extremum futura, una cum opinionibus Judaismo confinibus conclamatum Pseudomythicismi suscitabulum & fomentum est. JUSTIFICATIO DUPLEX, una per sententiam, altera per executionem sententiæ divinæ, quæ in reali absolute peccati & expulsionem ejusdem e subjecto consistat, quæque adeo sit ipsa sanctificatio, eine hergestellte Heiligung /da wir die Gerechtigkeit essentiell in dem Wesen Gottes finden müssen/item eine Fromm-machung/item efficientia justitiæ in nobis ante justificationem productæ, quæ est interpolatio Osiandrismi, confundens simul emundationem a peccato, per Sanguinem Jesu Christi factam, cum purificatione ea, qua nosmet ipsos mundamus; & anteriora posterioribus insubide postponens. Quin etiam a spiritibus novellis JUSTITIUM RATIONIS ET SENSUUM jactitatur, esse omnimoda intermissio actuum facultatis animæ rationalis & sensitivæ, retrahens hominem a cogitando, volendo, videndo, audiendo, gustando, tangendo & olfaciendo quælibet exteriora, conveniens cum introversione ejusdem in semet ipsum; cum tamen Scriptura nusquam jubeat, quod in devotione omnem omnino amittere debeamus sensum; sed fides potius ex auditu procreetur; & sancti homines in Scriptura non sine magna sensuum interiorum & exteriorum commotione, spiritusque jam exultatione, jam contributione, Deo servierint.

## K.

KABBALISTICA THEOSOPHIA. Nolo equidem hic illam ex instituto denudare: prout Arbor ejusdem, ab Hackspanio nostro depicta, ab *Ensof* usque ad *Adonai Malcurh* per *Ehjeh Cether*, *Jah Chochma*, *Jehovah Binah*, *El gedolah* (Reuchlinus pro gedolah posuit *chesed*) *Elohim gebhurah*, *Jehovah Tiphereth*, *Jehovah Zebaoth Ne-  
zah*